

PONTIFICIUM CONSILII
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXV - N. 1

1993

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

Semestrale

IUNIO 1993

Sped. Abb. Postale - gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

Litterae apostolicae motu proprio datae: Pontifícia Commissio «pro Russia» in Commissionem Interdicasteriale stabilem pro Ecclesia in Europa Orientali immutatur	3
Litterae apostolicae motu proprio datae: Pontificium Consilium de Cultura et Pontificium Consilium pro dialogo cum non credentibus in unum rediguntur	5
ALLOCUTIONES	
Allocutio Summi Pontificis ad Romanae Rotae Iudices coram admissos	8
Allocutio Summi Pontificis ad eos qui conventui internationali iuris canonici interfuerunt .	12
Ex allocutione Summi Pontificis ad quosdam episcopos Australiae visitationis "Ad Limina" occasione oblata	18
Ex allocutione Summi Pontificis ad quosdam episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis visitationis "Ad Limina" occasione oblata	21
Ex allocutione Summi Pontificis ad eos qui conventui internationali de themate <i>Pastores dabo vobis</i> interfuerunt	23
Ex allocutione Summi Pontificis ad quosdam episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis visitationis "Ad Limina" occasione oblata	24
Epistula Summi Pontificis ad episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis missa	28

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

SECRETARIA STATUS

Rescriptum ex Audientia Ss.mi quo nova «Peregrinationi ad Petri Sedem» ordinatio datur . .	30
CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI	
Notificatio de validitate baptismatis	34

ACTA CONSILII

Symposium internationale Iuris Canonici	35
Quaestiones quaedam studio Pontificii Consilii submissae	46

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studii «De sacra Hierarchy» (olim «De Clericis» (Sessio XIV)	49
II. Coetus studii «De sacra Hierarchy» (olim «De Clericis» (Sessio XV)	76
III. Coetus studii «De sacra Hierarchy» (olim «De Clericis» (Sessio XVI)	122
Opera a Consilii Bibliotheca Recepta	156
Notitiae	158

II

**COETUS STUDII
«DE SACRA HIERARCHIA»**

Sessio XV
(dd. 2-6 decembris a. 1974 habita)

Diebus 2-6 decembris 1974, in Aula huius Pontificiae Commissionis, Consultores convenerunt Coetus studiorum « De Sacra Hierarchia », sub moderamine Em.mi Card. Felici, Commissionis Praesidis, atque Rev.mi Onclin, Secretarii adjuncti.

Conventibus intererant Exc.mi sex et Rev.mi quattuor Consultores; atque Rev.dus Herranz, a studiis Commissionis, qui actuarii munere functus est.

Adunationibus non interfuerunt Exc.mus unus atque unus Rev.mus Consultores, quia legitime impediti.

In initio sessionis, Em.mus Praeses salutem omnibus dicit eiusque gratias refert ob eorum sollerterem cooperationem in laboribus Commissionis. Deinde rogit Rev.mum Secretarium Ad. ut quaestiones exponat de quibus hac in sessione agendum est, iuxta Litteras convocationis die 4 octobris datas. Eae quaestiones sunt sequentes: « de Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus »; « de Episcopis coadiutoribus et auxiliaribus »; « de Legatis Romanis Pontificis »; ultima recognitio canonum « de Curia Dioecesana ».

**I. DE SUPREMA ECCLESIAE AUCTORITATE
EIUSQUE EXERCITIO**


Novum schema canonum proponitur a Rev.mo Secretario Ad., iuxta deliberata in praecedenti Coetus sessione. A can. 3 schematis sermo fit de S.R.E. Cardinalibus.

Can. I (novus)

Textus propositus sic sonat:

« Quae de Suprema Ecclesiae auctoritate vigent praescripta, in canonibus Legis Ecclesiae fundamentalis de Romano Pontifice deque Collegio Episcoporum statuuntur (cann. 29-39) ».

Textus approbatur ab omnibus sine animadversionibus.



Can. 2 (novus)

Hic est textus qui proponitur:

«§ 1. In eius munere Supremi Ecclesiae Pastoris exercendo Romano Pontifici auxilio sunt Episcopi omnes, praesertim quidem Synodus Episcoporum, cuius est aptiores quibus universae Ecclesiae necessitatibus prospiciatur rationes inquirere atque de iisdem optata exprimere.

§ 2. Supremo Pastori peculiari modo adsunt Patres Cardinales, quorum est operam studiumque conferre ut quae secundum temporis adiuncta ad commune Ecclesiae bonum magis congruae et opportunae appareant rationes revera ad rem deduci possint.

§ 3. Romano Pontifici praesto sunt quoque quae ad Curiam Romanam pertinent personae et instituta, ad quae spectat varia obire munia atque explere mandata quibus praescriptae ad bonum Ecclesiarum ordinaciones in concreto ad effectum adducantur».

Quoad § 1, ipse Rev.mus Secretarius Ad. suggestit ut dicatur «in specie», loco «praesertim», quod placet.

Approbatur quoque, iuxta propositionem Em.mi Felici, ut in § 3 dicatur «directe», loco «in concreto».

Exc.mus primus Consultor quaestionem movet de ordine dicendorum: praeoptandum existimat ut prius agatur de Collegio Cardinalium quam de Episcopis omnibus et de Synodo Episcoporum.

Huic sententiae accedunt Exc.mus secundus, Rev.mus tertius et alii Consultores: expedit enim, aiunt, ut prius agatur de Romano Pontifice de que Eius immediatis collaboratoribus.

Rev.mus Secretarius Ad. contrariam sententiam tenet, agendum nempe esse existimat in primis de omnibus Episcopis, qui cum Romano Pontifice cooperantur modo ab Ipso determinato.

Obicit tamen Rev.mus tertius Consultor hoc esse verum, sed idem argumentum pari ratione valere pro Cardinalibus, qui nunc sunt omnes Episcopi atque praecipui cooperatores Romani Pontificis, cuius senatum constituant.

Exc.mus quartus Consultor distinguendum esse censet: sub aspectu enim theologicō prius venit Summus Pontifex cum Collegio Episcoporum; sub aspectu autem practico sive operativo preeminent Summus Pontifex cum Cardinalibus: cooperatio enim Cardinalium continua dici potest, dum cooperatio Synodi Episcoporum tantum quarto quoque anno locum habet.

Exc.mus secundus Consultor suggestit ut in § 1 agatur de Collegio Episcoporum, sed sine explicita mentione Synodi, quae est institutio mere ec-

clesiastica seu iuris humani neque ullam habet repraesentationem Collegii Episcoporum.

Huic assertioni alii accedunt Consultores.

Em.mus Praeses suffragationem postulat, sub hoc quaeſito: «Utrum placeat textus uti nunc est, ita tamen ut Collegium Cardinalium preponatur Synodo Episcoporum».

Exitus suffragationis est:

Placet: 5

Placet iuxta modum: 2

Non placet: 3.

Modi autem sunt sequentes:

— Exc.mus quartus Consultor desiderat ut distinctio fiat in canone ordinem theologicum inter et operativum, uti iam antea proposuit;

— Exc.mus quintus Consultor mavult ut § 1 in duas paragraphos dividatur, ita ut in nova § 1 sermo tantum fiat de Collegio Episcoporum.

His attentis, Card. Praeses statuit ut exitus suffragationis, una cum modis, in acta referatur, et transitus fiat ad examen canonis sequentis.

Can. 3 (CIC 230)

Textus propositus ita sonat:

«S.R.E.Cardinales peculiare Episcoporum Collegium constituunt, cui competit ut electioni Romani Pontificis provideat, ad normam legum specialium de eadem vigentium, firmo praescripto can. 8 § 1; Cardinales item Romano Pontifici adsunt, sive collegialiter agentes, cum ad quaestiones maioris momenti tractandas in Collegium convocentur, sive ut singuli, variis nempe officiis quibus funguntur eidem Romano Pontifici in universae Ecclesiae cura praeſertim cotidiana operam praeſtantes».

Exc.mus sextus Consultor postulat ut dicatur «Sanctae Ecclesiae Cardinales», quia Collegium Cardinalium est institutio Ecclesiae universalis et non solum Ecclesiae Romanae.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. Ecclesiam universam esse romanam, quia eius Caput est Romanus Pontifex.

Placet ceteris Consultoribus ut textus maneat sicuti est.

Exc.mus quartus Consultor dicendum esse censem Cardinalem, mediante titulo, fieri membrum cleri romani, sed, uti animadvertisit Rev.mus Secretarius Ad. hoc iam dicitur in can. 5.

Nulla alia animadversio fit, quapropter, facta suffragatione, textus approbat uti est propositus.

Can. 4 (CIC 232-233)

Haec est formula proposita:

«§ 1. Qui Cardinales promoveantur libere a Romano Pontifice seliguntur viri, saltem in ordine presbyteratus constituti, doctrina, moribus, pietate necnon rerum agendarum prudentia egregie praestantes.

§ 2. Cardinales creantur Romani Pontificis decreto, quod quidem coram Cardinalium Collegio publicatur; inde a publicatione facta officiis tenentur atque iuribus gaudent canonibus definitis.

§ 3. Promotus tamen ad cardinalitiam dignitatem, cuius creationem Romanus Pontifex annuntiaverit, eius autem nomen in pectore sibi reser-vans, nullis interim tenetur Cardinalium officiis nullisque eorum gaudet iuribus; postquam autem a Romano Pontifice eius nomen publicatum fuerit, iisdem tenetur officiis fruiturque iuribus, sed iure praecedentiae gaudet a die reservationis in pectore».

Ad § 2, Rev.mus septimus Consultor quaerit quid praecise significet verbum «coram», utrum videlicet idem sit quam «oretenus» necne.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. hanc publicationem fieri quoque posse aliis modis, ex.gr. per decretum Romani Pontificis cuius exemplar omnibus Cardinalibus transmittatur.

Huic responsioni accedit Rev.mus septimus Consultor qui proponit ut in ipsa § 2, lin. 3, dicatur «lege definitis», loco «canonibus definitis», quod placet.

Facta suffragatione, textus approbatur uti propositus est, cum supradic-ta emendatione.

Can. 5 (CIC 231 et 236, § 4)

Textus propositus est:

«§ 1. Fermo praescripto § 2, Cardinalibus a Romano Pontifice assi-gnatur titulus alicuius dioecesis suburbicariae aut alicuius Ecclesiae Urbis.

§ 2. Patriarchae Orientales qui in Patrum Cardinalium Collegium as-sumuntur suam retinent Patriarchalem sedem, nulliusque dioecesis suburbicariae ecclesiaevi Urbis titulo augentur.

§ 3. Cardinalis Sacri Collegii Decanus in titulum habet dioecesim Ostiensem».

Placet formula proposita, sed Exc.mus quintus Consultor mavult ut alia verba adhibeantur in § 2 loco «nulliusque dioecesis suburbicariae ec-clesiaevi Urbis titulo augentur».

Proponente Rev.mo Secretario Ad. omnibus placet ut dicatur: «... assumuntur, in titulum habent suam Patriarchalem sedem».

Nulla alia fit animadversio, ideoque textus approbatur cum supradicta emendatione in § 2.

Can. 6 (CIC 237)

Haec est formula quae proponitur:

«§ 1. Sacro Cardinalium Collegio praeest Decanus, eiusque impediti vices sustinet Subdecanus; Decanus, vel Subdecanus, nulla in ceteros Cardinales gaudet potestate regiminis, sed ut primus inter aequales habetur.

§ 2. Officii Decanatus Sacri Collegii vacante, Cardinales quibus ius est in electione Romani Pontificis partem habere, praesidente Subdecano si adsit, aut antiquiore ex ipsis, e coetus sui groemio unum ut Decanum Sacri Collegii eligant; eius nomen ad Romanum Pontificem deferant, cui soli competit electum confirmare.

§ 3. Eadem ratione de qua in § 2 eligitur Subdecanus, eligenti autem coetu praesidente ipso Decano, si adsit; Subdecani electionem confirmare uni etiam Romano Pontifici competit.

§ 4. Decanus et Subdecanus, si in Urbe domicilium iam non habeant, illud ibidem acquirant; officium ipso iure amittunt expleto octogesimo aetatis anno».

Rev.mus septimus Consultor desiderat ut in § 1 agatur de omnibus et officiis Decani, et in § 2 de subdecano; postulat quoque Rev.mus ut expungantur verba § 1 «nulla in ceteros Cardinales gaudet potestate regiminis», quia iam dicitur Decanum esse primum inter pares.

Aliis autem Consultoribus necessariae non apparent hae mutationes, ideoque, facta suffragatione, textus approbatur uti iacet.

Can. 7 (novus)

Hic est textus propositus:

«§ 1. S.R.E.Cardinales collegiali actione Supremo Ecclesiae Pastori praecipue auxilio sunt in Consistoriis, in quibus iussu Romani Pontificis eoque praesidente congregantur; Consistoria habentur ordinaria aut extraordinaria.

§ 2. In Consistorium ordinarium, ad eorum consultationem de quibusdam negotiis gravibus, communius tamen contingentibus, aut ad actus quosdam maxime sollemnes peragendos, convocantur omnes Cardinales, saltem in Urbe degentes.

§ 3. In Consistorium extraordinarium, quod celebratur cum peculiares Ecclesiae necessitates graviorave negotia tractanda id suadeant, convocantur Cardinales, saltem in Urbe degentes, qui octogesimum aetatis suae annum non adimpleverint.

§ 4. Solum Consistorium ordinarium in quo aliquae sollemnitates celebrantur potest esse publicum, scilicet in quo praeter Cardinales admittuntur Praelati, Principes saeculares, legati societatum civilium aliive ad illud invitati».

Ad § 1 proponit Rev.mus Secretarius Ad. ut dicatur «Cardinales», loco «S.R.E. Cardinales», quod placet.

Circa § 2, vult Exc.mus quintus Consultor expungatur verbum «omnes». Obiicit tamen Rev.mus septimus Consultor hoc verbum necessarium esse, quia exprimit distinctionem a Consistorio extraordinario, de quo in § 3 ipsius canonis.

Suggerit igitur Rev.mus Secretarius Ad. ut aptius dicatur: «in Urbe versantes», loco «in Urbe degentes», quod placet.

Quaerit Rev.mus octavus Consultor cur in § 2 non habeantur etiam verba «qui octogesimum aetatis annum non adimpleverint», ut in § 3.

Respondent Exc.mus quartus Consultor et Rev.mus Secretarius Ad. Cardinales, post adimpletum octogesimum annum, excludendos esse tum a Conclave tum a Consistorio extraordinario (ad mentem M.P. «Ingravescensem aetatem»), non autem a Consistorio ordinario.

Huic responsioni accedunt alii Consultores, inter quos Rev.mus septimus, iuxta cuius sententiam cum hac distinctione cohaeret activitas collegialis, quae servari debet.

Etiam in § 3 dicitur «versantes», loco «degentes».

Ad § 4, proponitur et accipitur ut deleantur verba «Principes saeculares», quia hodie haec consuetudo non habetur.

Textus canonis approbatur ab omnibus cum supradictis emendationibus.

Can. 8 (novus)

Formula quae proponitur ita sonat:

«§ 1. Patres Cardinales qui octogesimum aetatis annum impleverint, licet membra remaneant Sacri Collegii variisque iuribus et praerogativis eisdem propriis fruantur, non excluso quidem iure ut ordinariis intersint Consistoriis:

1° ius amittunt Romanum Pontificem eligendi atque adeo in Conclave ingrediendi; qui vero post coemptum Conclave octogesimum annum compleverint, ius Romanum Pontificem eligendi ea vice retinent;

2º desinunt esse membra Dicasteriorum Romanae Curiae coeterorumque permanentium Sedis Apostolicae et Civitatis Vaticanae institutorum, etiamsi, exceptionis gratia, dioecesi alicui praesint aut eius titulum, sine regendi munere, servent.

§ 2. Patres Cardinales Dicasteriis Romanae Curiae aliisve institutis, de quibus in § 1, 2º, praepositi, qui septuagesimum quintum aetatis annum expleverint, rogantur ut renuntiationem ab officio sua sponte exhibeant Romano Pontifici, qui, omnibus in unoquoque casu perpensis adiunctis, providebit».

Quoad § 1, proponit Exc.mus quintus Consultor ut expungantur verba «non excluso quidem iure ut ordinariis intersint Consistoriis», quia haec verba non videntur necessaria.

Omnis concordat cum hac animadversione, sed magis placet ut memorata verba maneant, quia non nocent et clariorem reddunt textum.

Can. 9 (CIC 239, §§ 2-3)

Sic sonat textus propositus:

«Cardinali Decano competit nomen novi electi Romani Pontificis populo annuntiare, itemque ordinare et consecrare electum Romanum Pontificem si hic non adhuc ordinatus aut consecratus sit; impedito Decano, idem ius competit Subdecano, eoque impedito, antiquiori Cardinali cui ius est in electione Romani Pontificis partem habere».

Rev.mus septimus Consultor obiectionem movet contra expressionem «ordinatus aut consecratus», quia duo haec verba idem significant.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. hoc verum esse, sed animadvertisit hanc terminologiam adhibitam esse in aliis Coetibus studiorum (et quidem in Coetu «De Sacramentis»), ita nempe ut, rationibus tum historicis, tum praeminentiae officii episcopalis, promotio ad Episcopatum vocetur «consecratio».

Hoc non obstante, ipse Rev.mus Secretarius Ad. suggerit ut praesens textus ita modifetur: «... itemque *electum* Romanum Pontificem *ad sacros promovere ordines, si electus nondum episcopus sit; impedito...*».

Placet omnibus haec emendatio, et textus canonis approbatur.

Can. 10 (CIC 238)

Hic est textus propositus:

«Cardinales obligatione tenentur cum Romano Pontifice sedulo cooperandi; Cardinales itaque quovis officio in Curia fungentes, qui non sint

Episcopi dioecesani, obligatione tenentur residendi in Curia; Cardinales qui alicuius dioecesis curam habent ut Episcopi dioecesani, Urbem petant quoties a Romano Pontifice convocentur, atque, cum ad Urbem venerint, ab eadem ne discedant nisi prius adito Romano Pontifice».

Textus approbatur sed, sugerente Rev.mo Secretario Ad. omnibus placet ut dicatur «in Urbe», loco «in Curia».

Can. 11 (CIC 239-240)

Sic sonat textus:

«§ 1. Cardinales, quibus dioecesis suburbicaria aut ecclesia in Urbe in titulum est assignata, postquam in eiusdem venerunt possessionem, earundem dioecesum et ecclesiarum consilio et patrocinio promoveant, nulla tamen in easdem potestate regiminis pollut, nec ulla ratione sese iis interponant quae ad earum bonorum administrationem, ad disciplinam aut ecclesiarum servitium spectant.

§ 2. Cardinales extra Urbem et extra propriam cui praesunt dioecesim degentes, in iis quae ad sui personam pertinent exempti sunt a potestate regiminis Episcopi dioecesis in qua commorantur». Probatur textus sine ulla animadversione.

Can. 12 (novus)

Textus qui proponitur approbatur cum sola aliqua verborum ordinis mutatione, nempe:

«Cardinales inde a sui ad Cardinalatum promotionem obligatione tenentur providendi per legitimum documentum, Apostolicae Sedi transmittendum, ut quae cum decesserint possident acta et scripta ad relationes cum Sede Apostolica eiusve actionem pertinentia, uni Sedi Apostolicae obveniant».

Can. 13 (CIC 241)

Hic est textus propositus et approbatus:

«Sede Apostolica vacante, Sacrum Cardinalium Collegium nulla in Ecclesia gaudet potestate, nisi ea quae in lege peculiari de Sede vacante definitur».

II. DE EPISCOPIS COADIUTORIBUS ET AUXILIARIBUS

Novum schema proponitur a Rev.mo Relatore, iuxta deliberata in praecedenti Coetus sessione.

Can. 1 (CIC 350)

Sic sonat textus propositus:

«§ 1. Cum pastorales dioecesis necessitates id suadeant si nempe ob dioecesis amplitudinem magnumve incolarum numerum, aut ob peculiaria apostolatus adiuncta aliasve rationes, Episcopus dioecesanus per semetipsum omnia episcopalia munia, sicut animarum id exigat bonum, adimplere nequeat, unus vel plures Episcopi auxiliares, scilicet sine iure successionis, constituantur; prout animarum bonum id exigat, ipse Episcopus dioecesanus expostulet ut unus aut plures Episcopi auxiliares constituantur.

§ 2. Cum peculiaris id requirat dioecesis necessitas, gravioribus scilicet in adiunctis, etiam indolis personalis, Episcopus dioecesanus votum Apostolicae Sedi mittere curet ut sibi detur Episcopus adiutor seu auxiliaris specialis¹, qui, iure successionis quidem non gaudens, specialibus vero facultatibus sit praeditus et Episcopi dioecesani vices gerat; eundem semper etiam ex officio constituere potest Sancta Sedes, praesertim si Episcopus dioecesanus absens sit aut quoquo modo impeditus.

§ 3. Ob peculiares de quibus in § 2 aliasve rationes, si magis opportunitum id ipsi videatur, a Sede Apostolica, in Episcopi dioecesani adiutorium, constitui potest Episcopus coadiutor, qui nempe et ipse specialibus gaudet facultatibus, sed et iure successionis donatur».

Fiunt imprimis animadversiones ad textum canonis in genere, et Exc.mus nonus Consultor expedire existimat ut, cum textus promulgetur huius canonis, rationes adducantur ob quas ipse aliquantum differt a normis quae de hac materia inveniuntur in Decr. «Christus Dominus».

Exc.mus secundus Consultor censem verba «vices gerat» (§ 2) postulare ut «Episcopus adiutor» sit alter ego Episcopi dioecesani, cum omnibus facultatibus.

Exc.mus primus Consultor obiectionem movet contra verbum «adiutor», quia confusiones gignere potest.

¹ Episcopus auxiliaris qui specialibus donatur facultatibus, iure autem successionis non gaudet, qui que in praxi Curiae hodie coadiutor sine iure successionis nuncupatur, posset appellari Episcopus auxiliaris regens (vel: subregens), aut *Episcopus adiutor*. aut *Episcopus adiunctus*, aut simpliciter *auxiliaris specialibus facultatibus gaudens*, vel *auxiliaris specialis*.

Exc.mo quinto Consultori non placet figura Episcopi coadiutoris cum iure successionis, quia talis Episcopus hodie rarissime nominatur et est velut « umbra mortis » pro Episcopo dioecesani. Praeoptat quoque Exc.mus ut adhibeatur expressio « Episcopus adiunctus », loco « Episcopus adiutor ».

Rev.mo septimo Consultori placet in genere textus canonis. Duae figurae Episcopi auxiliaris considerandae sunt: *a)* simplex Episcopus auxiliaris; *b)* Episcopus adiunctus, qui est auxiliaris peculiaribus facultatibus praeditus.

Iuxta Rev.mum octavum Consultorem nimius est numerus diversarum figurarum, multae nempe sunt Episcoporum species.

Concordant Exc.mus quintus et Rev.mus septimus Consultores, qui desiderant ut supprimatur figura Episcopi coadiutoris cum iure successionis.

Rev.mus tertius Consultor se refert ad notam in calce textus positam, et dicit sibi non placere ut Episcopus vocetur « regens », quod verbum sonat ac si aliquid minuatur in potestate Episcopi dioecesani.

Exc.mus secundus Consultor mavult, ut loco « adiutor » vel « adiunctus » dicatur « vicesgerens ».

Ad § 1: Postulat Rev.mus septimus Consultor ut deleantur verba « sicut animarum id exigat bonum, quae sunt repetitio. Contrarium tenet Exc.mus quartus Consultor, qui etiam postulat ut expungantur verba « scilicet sine iure successionis », quae non videntur necessaria.

Suggerit Rev.mus Relator ut dicatur « unus vel plures Episcopi auxiliares, petente Episcopo dioecesano, constituantur ».

Existimat tamen Exc.mus secundus Consultor melius esse si dicatur « de consensu Episcopi dioecesani », quodsi Episcopus dioecesanus non consentiat, tunc Sancta Sedes providere potest per nominationem Administratoris Apostolici vel Coadiutoris.

Haec tamen emendatio aliis Consultoribus non videtur necessaria.

Omnibus attentis, Rev.mus Secretarius Ad. sequentem proponit formulam, quae ceteris placet: « ... unus vel plures Episcopi auxiliares, petente Episcopo dioecesano, constituantur; Episcopus auxiliaris iure successionis non gaudet »

Ad § 2: suggerit Rev.mus Secretarius Ad., ad mentem animadversiorum quae antea factae sunt, ut dicatur in lin. 3: « ... sibi detur Episcopus vicesgerens seu auxiliaris specialibus facultatibus praeditus ».

Exc.mus quartus Consultor censem textum ita esse componendum, ut sequentia prae oculis habeantur:

a) nisi specialia adiuncta id suadeant, nominari non solet Administrator apostolicus vel Coadiutor;

b) expungenda videntur verba «eundem semper etiam ex officio constituere potest Sancta Sedes, praesertim si Episcopus dioecesanus absens sit aut quoquo modo impeditus», ut pateat differentia Episcopum adiutorem seu vicesgerentem inter et Episcopum Coadiutorem;

c) haec differentia in hoc consistit, quod Episcopus auxiliaris (etiam «adiutor» seu «vicesgerens»), semper proponitur ab ipso Episcopo dioecesano; dum Episcopus Coadiutor (cum vel sine iure successionis) vel Administrator apostolicus directe datur a Sancta Sede et est semper quidam necessarius interventus ex auctoritate. Formula ergo — concludit Exc.mus — magis flexibilis debet esse.

His omnibus attentis, Rev.mus Relator sequentem textum proponit, qui ab omnibus recipitur:

«Cum peculiaris id requirat dioecesis necessitas, gravioribus scilicet in adiunctis, etiam indolis personalis, Episcopus dioecesanus votum Apostolicae Sedi mittere curet ut sibi detur Episcopus auxiliaris specialibus instrutus facultatibus, iure quidem successionis non gaudens; qui, ubi plures sunt Episcopi auxiliares, vices gerens appellatur».

Ad § 3: Censemus quartus Consultor per duas praecedentes paragraphos iam satis provideri posse necessitatibus dioecesum, quapropter necessarium esse non videri figuram Episcopi coadiutoris «cum iure successionis», de qua in § 3; idque propter rationes pastorales adductas in praecedenti Coetus sessione (cfr. supra pag. 71). Experientia ostendit difficultates non paucas ex hac figura oriri.

Obiicit Rev.mus Secretarius Ad., Concilium Vaticanum II agere de Coadiutore cum iure successionis; praeterea, sequitur Rev.mus, una Sancta Sedes de hac re iudicat, quae proinde potest non amplius nominare, vel paucissimos nominare, Episcopos coadiutores cum iure successionis.

Concordat Rev.mus septimus Consultor: si servatur figura amplior fit norma, et Sancta Sedes decernere potest de convenientia in singulis casibus, dum servatur praescriptum Concilii Vaticani II. Accedit Exc.mus quartus Consultor qui censemus servari posse figuram Coadiutoris «cum iure successionis», dummodo addatur etiam figura coadiutoris sine iure successionis: nominationes enim fere semper sine hoc iure hodie fiunt a Sancta Sede.

Si adest figura Coadiutoris sine iure successionis — ait Rev.mus septimus Consultor — necesse non est ut introducatur figura Auxiliaris adiuncti.

Cum hac animadversione non concordat Exc.mus quartus Consultor qui servandas esse censemus duas has figuras, ut possibilitas detur Episcopis

solvendi per se omnia problemata quae exurgere possunt, etiam mediante illo « alter ego », ab ipso Episcopo dioecesano electo, qui nunc proponitur. Si vero Episcopus dioecesanus haec problemata per se solvere non valeat, tunc intervenit Sancta Sedes ex. gr. per nominationem Episcopi coadiutoris cum vel sine iure successionis.

His omnibus attentis, Rev.mus Relator hanc proponit novam redactionem § 3, quae approbatur:

« Ob peculiares de quibus in § 2 aliasve rationes, si magis opportunum id ipsi videatur, Sancta Sedes ex officio constituere potest Episcopum coadiutorem, qui scilicet et ipse specialibus instruitur facultatibus, et qui iure successionis donari potest ».

Fit adhuc nova revisio totius canonis, et sequentes habentur animadversiones.

Exc.mus sextus et Rev.mus tertius Consultores postulant, ad vitandas repetitiones non necessarias, ut in § 2 deleantur verba « iure quidem successionis non gaudens », quod approbatur.

Proponentibus Exc.mis quarto et quinto Consultoribus, placet ut in § 3 expungantur verba « scilicet » (lin. 3) et « qui » (lin. 4).

Iuxta Rev.mum decimum forsitan oporteret ut in § 3 dicatur « auditio Episcopo dioecesano ».

Respondet Exc.mus quartus Consultor hoc in praxi saepe ita fieri, sed melius sibi videri ut Sancta Sedes non ligetur.

Quaerit Rev.mus octavus Consultor quae sit differentia inter Episcopum vicesgerentem et Episcopum coadiutorem sine iure successionis.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. coadiutorem nominari directe a Sancta Sede, dum vicesgerens nominatur proponente Episcopo dioecesano.

Fit suffragatio de toto canone, qui sub hac definita formula unanimiter approbatur:

« § 1. Cum pastorales necessitates dioecesis id suadeant, si nempe ob dioecesis amplitudinem magnumve incolarum numerum, aut ob peculiaria apostolatus adjuncta aliasve rationes, Episcopus dioecesanus per semetipsum omnia episcopalia munia, sicut animarum id exigat bonum, adimplere nequeat, unus vel plures Episcopi auxiliares, petente Episcopo dioecesano, constituantur; Episcopus auxiliaris iure successionis non gaudet.

§ 2. Cum peculiaris id requirat dioecesis necessitas, gravioribus scilicet in adjunctis, etiam indolis personalis, Episcopus dioecesanus votum Apostolicae Sedi mittere curet ut sibi detur Episcopus auxiliaris specialibus instructus facultatibus; qui, ubi plures sunt Episcopi auxiliares, vices gerens appellatur.

§ 3. Ob peculiares de quibus in § 2 alias rationes, si magis opportu-
num id ipsi videatur, Sancta Sedes ex officio constituere potest Episcopum
coadiutorem, qui et ipse specialibus instruitur facultatibus, et iure suc-
cessionis donari potest».

Can. 2 (CIC 353)

Haec est formula quae proponitur:

«§ 1. Episcopus coadiutor, officii sui possessionem capit, cum litteras
apostolicas nominationis, per se vel per procuratorem, ostenderit Episcopo
dioecesano atque Collegio consultorum aut, ubi Capitulo cathedrali com-
petat ius eligendi vel praesentandi Episcopum, Collegio consultorum una
cum Capitulo Cathedrali, in unum Collegium coadunatis, praesente secre-
tario Curiae, qui rem in acta referat.

§ 2. Episcopus auxiliaris, etiam auxiliaris specialibus donatus facultati-
bus seu adiutor, officii sui possessionem capit, cum litteras apostolicas no-
minationis ostenderit Episcopo dioecesano, praesente secretario Curiae,
qui rem in acta referat».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut addatur in § 1: «Episcopus coa-
diutor, *si iure successionis gaudeat ...*», quod placet.

Rev.mus septimus Consultor memorat § 3 can. 353, circa formam iu-
ridicam capienda possessionis si Episcopus dioecesanus sit impos eliciendi
actus humani.

Rev.mus Relator hanc novam formulam canonis proponit:

«§ 1. Episcopus coadiutor, si iure successionis gaudeat, officii sui pos-
sessionem capit, cum litteras apostolicas nominationis, per se vel per pro-
curatorem, ostenderit Episcopo dioecesano atque Collegio consultorum
aut, ubi Capitulo cathedrali competat ius eligendi vel praesentandi Episco-
pum, Collegio consultorum una cum Capitulo cathedrali, in unum Colle-
gium coadunatis, praesente secretario Curiae, qui rem in acta referat.

§ 2. Episcopus coadiutor iure successionis non gaudens, itemque Epi-
scopus auxiliaris, officii sui possessionem capit, cum litteras apostolicas no-
minationis ostenderit Episcopo dioecesano, praesente secretario Curiae,
qui rem in acta referat».

Textus §§ 1 et 2 approbatur, uti propositus est.

Exc.mus primus Consultor postulat ut, claritatis causa, § 3 ita emende-
tur: «Coadiutor iure successionis gaudens soli Collegio Consultorum aut,
ad normam § 1, Collegio Consultorum una cum Capitulo Cathedrali lit-
teras ostendat».

Iuxta Exc.mum quintum Consultorem opprobiosus sonat textus in quo dicatur coadiutorem dari homini incapaci emittendi actum humanum.

Rev.mus septimus et alii Consultores huic animadversioni accedunt, et proponunt ut dicatur « si sit impeditus », quia haec verba omnes possibles casus complectuntur.

His attentis, Rev.mus Secretarius Ad. hanc proponit novam redactionem § 3, quae approbatur:

« Quod si Episcopus dioecesanus plene sit impeditus sufficit ut tum Episcopus coadiutor tum Episcopus auxiliaris, litteras apostolicas nominationis ostendat soli Collegio ad normam § 1 ».

Can. 3 (CIC 351, §§ 1-2)

Hic est textus qui proponitur:

« Episcopus coadiutor itemque Episcopus adiutor et Episcopus auxiliaris obligationes et iura habent quae determinantur praescriptis canonum qui sequuntur; praeterea Episcopus coadiutor et Episcopus adiutor obligationes et iura habent quae in litteris suae constitutionis definiuntur, Episcopi dioecesani absentis vel impediti vices gerunt atque eidem in universa dioecesis cura adstant ».

Iuxta animadversionem Rev.mi decimi Consultoris, Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut textus ita emendetur:

« Episcopus coadiutor, itemque Episcopus auxiliaris, obligationes ... sequuntur; praeterea Episcopus coadiutor et Episcopus auxiliaris de quo in can.1, § 2, obligationes ... definiuntur, Episcopo dioecesano in universo dioecesis regimine adstant, atque eodem absente vel impedito eius vices supplent».

Canon approbatur, cum his emendationibus.

Can. 4 (novus)

Formula proposita ita sonat:

« § 1. Episcopus coadiutor vel adiutor ab Episcopo dioecesano Vicarius generalis semper constituatur (Decr. *Christus Dominus*, n. 26); insuper ipsi prae aliis Episcopus dioecesanus committat quae ex iure mandatum speciale requirant.

§ 2. Nisi in litteris apostolicis aliud provisum fuerit, Episcopus dioecesanus auxiliarem vel auxiliares suos constitutus Vicarios generales vel saltem Vicarios episcopales, a sua dumtaxat auctoritate dependentes ad normam iuris (cf. Decr. *Christus Dominus*, n. 25) ».

Suggerit ipse Rev.mus Relator ut in § 2 addatur: «... fuerit et *firma* *praescripto* § 1, Episcopus...», quod approbatur.

Ad eandem § 2 Rev.mus septimus Consultor obiectionem movet contra verba «a sua dumtaxat auctoritate dependentes», quae valere non videntur, pro casu vicegerentis.

Huic animadversioni alii accedunt Consultores, quapropter Rev.mus Secretarius Ad. sequentem textum emendatum proponit, qui unanimiter approbatur:

«... a sua, *aut Episcopi coadiutoris vel Episcopi auxiliaris de quo in can. 1,* § 2 auctoritate dumtaxat dependentes...

Can. 5 (novus)

Hic est textus qui proponitur:

«§ 1. Episcopus coadiutor, Episcopus adiutor et auxiliaris, quippe qui in partem sollicitudinis Episcopi dioecesani vocati sint, munia sua ita exerceant ut in negotiis gerendis unanimi consensione cum ipso procedant (Decr. *Christus Dominus*, n. 25).

§ 2. Ut quam maxime praesenti et futuro dioecesis bono faveatur, Episcopus dioecesanus atque Episcopus coadiutor vel adiutor in rebus maioris momenti mutuo se consulant.

§ 3. Episcopus dioecesanus, in perpendendis causis maioris momenti, praesertim indolis pastoralis, Episcopos auxiliares p[ro]e aliis consulere velit (cf. Decr. *Christus Dominus*, n. 26)».

Suggerit Exc.mus quartus Consultor ut quae nunc est § 1, fiat § 3, quia actio concors sequitur mutuam consultationem.

Propositio ceteris placet Consultoribus.

Quoad § 3 (quae prius erat § 1), Exc.mus quintus Consultor obiectionem movet contra verba «unanimi consensione», quae non semper habetur, etsi oboedientia utique detur.

Rev.mus septimus Consultor suggerit ut dicatur: «ita exercere studeant ut...». Hoc tamen non satis videtur Exc.mo quarto Consultori quia in ambitu operativo clare patere debet unitas quae in regime dioecesis habetur.

Suggerunt igitur Exc.mus quartus et Rev.mus octavus Consultores ut dicatur: «... ita exerceant, *ut concordi cum ipso opera et animo* procedant», quae formula a ceteris Consultoribus approbatur.

Can. 6 (CIC 351, § 4)

Textus propositus et approbatus est sequens:

«§ 1. Episcopus coadiutor vel adiutor et Episcopus auxiliaris, iusto

impedimento non detenti, obligantur ut, quoties ab Episcopo dioecesano fuerint requisiti, pontificalia et alias functiones obeant, ad quas Episcopus dioecesanus teneretur.

§ 2. (CIC 351, § 3). Quae episcopalia iura et functiones Episcopus coadiutor vel adjutor aut auxiliaris potest et vult exercere, Episcopus dioecesanus habitualiter alii ne committat».

Can. 7 (CIC 355)

Hic est textus propositus:

«§ 1. Vacante sede episcopali, Episcopus coadiutor statim evadit Episcopus dioecesis pro qua fuerat constitutus, dummodo, possessionem legitime cuperit ad normam can. 2, § 1.

§ 2. Vacante sede episcopali, nisi aliud a competenti auctoritate statutum fuerit, Episcopus adjutor et Episcopus auxiliaris, usquedum novus Episcopus possessionem sedis cuperit, omnes et solas servant potestates et facultates quibus sede plena, tanquam Vicarius generalis vel tanquam Vicarius episcopal, gaudebant; quod si Episcopus adjutor aut auxiliaris ad munus Administratoris apostolici aut Administratoris dioecesani non fuerit designatus, eandem suam potestatem, a iure quidem collatam, exerceat sub auctoritate Administratoris apostolici aut Administratoris dioecesani, qui regimini dioecesis praeest.

§ 3. Cum novus Episcopus dioecesis possessionem legitime cuperit, Episcopus adjutor, nisi aliter a Sede Apostolica provisum fuerit, dioecesis fit Episcopus auxiliaris; Episcopus vero dioecesanus auxiliares sine mora, ad normam can. 4, § 2 constitutus Vicarios generales aut episcopales».

Quoad § 1, Rev.mus septimus Consultor proponit ut addatur: «... Episcopus coadiutor *iure successionis gaudens* statim...», quod placet.

Quoad § 2, Exc.mus primus et Rev.mus octavus Consultores propnunt ut addatur: «... statutum fuerit, *Episcopus coadiutor iure successionis non gaudens itemque* Episcopus auxiliaris ...», quod approbatur.

Quaerit Exc.mus primus Consultor quid de coadiutore sine iure successionis post captam a novo Episcopo dioecesis possessionem.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. id statuendum esse singulis in casibus a Sancta Sede.

Quoad § 3, Rev.mus octavus Consultor postulat ut addatur Episcopus coadiutor, sed id necessarium non videtur Rev.mo Secretario Ad., quia ipso iure fit Episcopus auxiliaris.

Animadvertisit Rev.mus tertius Consultor Episcopos auxiliares esse reve-

ra auxiliares Episcopi qui eos postulavit, nominatos nempe iuxta propositionem Episcopi cessantis et in eius adiutorium.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. hoc in casu pertinere ad Sanctam Sedem decernere utrum ipsi maneant in dioecesi an alium in locum transferendi sint.

Censem Rev.mus septimus Consultor hanc esse novam praxim sed respondet Exc.mus quartus Consultor hac in re magnam haberi flexibilitatem; generatim enim auxiliaris permanet in munere, sed Sancta Sede acceptat petitionem novi Episcopi, si ipse desideret ut auxiliaris in alium locum mittatur.

Exc.mi quartus et quintus atque Rev.mus octavus Consultores postulant ut expungatur § 3, quae est repetitio can. 4, § 2; praeterea animadverbit Exc.mus quartus Consultor, verba «sine mora», quae hic adiunguntur, non videntur opportuna, quia adversantur necessariae flexibilitati.

His dictis alii accedunt Consultores, ergo § 3 expungitur.

Can. 8 (CIC.354)

Hic est textus propositus:

«Episcopus coadiutor, sicut et Episcopus adiutor et auxiliaris, obligatione tenentur, sicut ipse Episcopus dioecesanus, residendi in dioecesi; a qua praeterquam alicuius officii extra dioecesim implendi ratione aut vacationis causa, nonnisi ad breve tempus, Episcopo dioecesano consentiente, discedant».

Nulla habetur animadversio, ideoque textus approbatur ut iacet.

Can 9 (novus)

Formula proposita ita sonat:

«§ 1. Episcopo coadiutori, ad renuntiationem ab officio quod attinet, applicatur praescriptum can. 28, § 2 (de Episcopis dioecesani).

§ 2. Episcopus adiutor vel Episcopus auxiliaris qui septuagesimum quintum aetatis annum expleverit aut ob infirmam valetudinem aliamve gravem causam officio suo adimplendo minus apertis evaserit, monito Episcopo dioecesano, renuntiationem ab officio exhibeat Summo Pontifici, qui, omnibus inspectis adjunctis et auditio eodem Episcopo dioecesano, providebit.

§ 3. Episcopo coadiutori, adiutori et auxiliari, quorum renuntiatio ab officio acceptata fuerit, applicatur praescriptum can. 29 (de Episcopis dioecesani) ».

Textus approbatur uti propositus est, sine animadversionibus.

Antequam examen canonum prosequatur, quaeritur num approbetur Relatio conclusiva praecedentis sessionis huius coetus studii, vel aliquis obiectiones habeat proponendas. Nulla fit animadversio, et Relatio unanimiter approbatur.

III. DE LEGATIS ROMANI PONTIFICIS

Schema quod a Relatore proponitur placet omnibus Consultoribus quoad substantiam. Fit ergo examen singulorum canonum.

Can. 1 (CIC 265)

Hic est textus propositus:

« Romano Pontifici ius est nativum et independens ad societas politicas civiliaque gubernia atque ad regiones ecclesiasticas Legatos suos mittendi, sicut et eos nominandi, transferendi et revocandi, servatis quidem normis iuris internationalis, quod attinet ad missionem et revocationem Legatorum apud societas politicas constitutorum (cf. M.P. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, III, 1).

Exc.mus quintus Consultor obiectionem movet contra verba «regiones ecclesiasticas».

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. territorium in casu coincidere ordinarie cum natione.

Obiicit tamen Rev.mus decimus Consultor rem non ita se habere ex. gr. in Libano, quae non est regio ecclesiastica et ubi Nuntius est legatus apud personas morales, nempe apud Ecclesias patriarchales. Forsan aptius dici potest: «ad communitates ecclesiasticas».

Exc.mus quartus Consultor proponit ut dicatur «ad Ecclesias alicuius nationis»; Rev.mus Secretarius Ad. mavult «ad Episcopos alicuius ditionis ecclesiasticae».

Obiicit Rev.mus septimus Consultor legatos semper mitti ad gubernia: hoc enim significat ipsum verbum «legatus», iuxta ius internationale; et non mittuntur ad societas politicas, quia legati Romani Pontificis (potioribus gravioribusque rationibus quam alii legati) nullum ius habent sese immiscendi quomodocumque in rebus harum societatum.

His dictis alii accedunt Consultores.

Exc.mus quartus Consultor dicit legatos in casu esse repraesentantes Summi Pontificis apud communiteatem certae nationis, quamquam relatio semper fit mediante ministerio ab exterioribus negotiis istius nationis.

Praeoptat Rev.mus Secretarius Ad., qui tamen est concors cum substantia animadversionis Rev.mi septimi Consultoris, ut adhibetur expressio «societas politica», quae complectitur non tantum respuplicas vel nationes sed etiam societates internationales (ONU, etc.).

Animadvertisunt denique Exc.mus quartus, Rev.mi septimus et alii Consultores atque Secretarius Ad. vitandam esse expressionem «Ecclesia localis». Quapropter, attentis iam dictis, Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut, loco «ad regiones ecclesiasticas», dicatur «ad Ecclesias in certa natione aut ditione ecclesiastica sitas».

Placet haec propositio, et canon approbatur cum hac emendatione.

Can. 2 (CIC 266)

Ita sonat formula quae proponitur:

«*Legatus a latere* est Cardinalis qui a Romano Pontifice tanquam alter ego, cum hoc titulo, mittitur, et cui ea tantum competit quae eidem a Romano Pontifice demandantur».

Censemus quartus Consultor hunc textum aptius ponendum esse inter canones de Collegio Cardinalium. Animadvertisit praeterea Exc.mus hodie frequentius adhiberi figuram «missi specialis» («inviato speciale»), cum functione unice pastorali, sine civilibus caeremoniis, vel honoribus militaribus, etc.

Propositio placet, ergo in canonibus de Collegio Cardinalium textus addendus est *de Legato a latere* atque etiam de misso («inviato») speciali.

Can. 3 (nunc Can. 2) (novus)

Hic textus proponitur:

«§ 1. Nomine Legatorum Romani Pontificis, in canonibus qui sequuntur, appellantur viri ecclesiastici, plerumque Episcopali Ordine insignes, quibus Romanus Pontifex officium committit suam stabili modo gerendi personam, in variis terrarum orbis Nationibus vel regionibus ecclesiasticis (M.P. *Sollicitudo*, I, 1).

§ 2. Item personam Sanctae Sedis gerunt membra illa Pontificiae Legationis quae, sive deesit sive ad tempus absit Legationis praepositus, eiusdem vices supplet tum erga regionem ecclesiasticam, tum erga Civitatis gubernium, appellanturque ‘curam agentes ad negotia ad interim’ (M.P. *Sollicitudo*, II, 2)».

Quaerit ipse Rev.mus Secretarius Ad. utrum § 2 servanda sit necne. Af-

firmative respondet Exc.mus quartus Consultor, quia agitur de expressione technica agnita in conventione Vindobonensi circa ius diplomaticum.

Rev.mus septimus Consultor postulat ut haec § 2 ponatur post canonom 4, vel ut § 2 canonis 2, quia agitur de functione ad interim.

Contrarium tenet Exc.mus quartus Consultor, qui vult praeterea ut addatur figura observatorum apud organa internationalia, etc.

De hac nova figura alius canon apparabitur, uti suggerit quoque Exc.mus secundus Consultor. In hoc novo canone, qui est canon 3, sumenda etiam sunt quae habentur in M.P. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, art. II § 1.

Proponente Rev.mo Secretario Ad. placet ut loco « regio ecclesiastica » dicatur « ditio ecclesiastica » (§§ 1-2), utpote loco « erga Civitatis gubernium », ponatur « erga societatis politicae gubernium ».

Canon approbatur cum his tantum emendationibus.

Can. 4 (CIC 267)

Textus propositus est sequens:

« Qui modo stabili legatione funguntur apud regiones ecclesiasticas tantum, vocantur Delegati Apostolici; qui legationem modo stabili exercent insimul apud societas politicas civiliaque gubernia nuncupantur vel Nuntii, vel Pro Nuntii, vel Internuntii, prouti vel ad ordinem pertinent ‘Publicorum Legatorum’ cum iure partes agendi Decani in Legatorum coetu, vel hoc iure carent vel recensentur inter ‘Legatos extraordinarios et Administros liberis cum mandatis’ (M.P. *Sollicitudo*, I, 2) ».

Animadvertisit ab Exc.mo quarto Consultore iam amplius non exsistere figuram Internuntii. Delentur ergo verba quae ad hunc spectant, et textus sequens approbatur:

« Qui modo stabili legatione funguntur apud Ecclesias in certa ditione ecclesiastica sitas tantum, vocantur Delegati Apostolici; qui legationem modo stabili exercent insimul apud Societas politicas civiliaque gubernia, nuncupantur Nuntii vel Pro Nuntii, prouti ad ordinem pertinent ‘Publicorum Legatorum’ cum iure partes agendi Decani in Legatorum coetu, aut hoc iure carent (cf. M.P. *Sollicitudo*, I, 2) ».

Can. 5 (CIC, 267, § 1, 1º)

Hic est textus qui proponitur:

« § 1. Firmis praescriptis cann. 6 et 7, Nuntii, Pro Nuntii vel Internuntii munus est:

Can. 7 (novus)

Textus propositus sic sonat:

«Praeterea, omnis Pontificii Legati, stabili modo constituti, est:

1º operam conferre ut promoveantur quaestiones ad pacem, ad progressum et ad consociatam populorum operam spectantes;

2º contendere ut, consociata cum Episcopis regionis actione, eantuuntur quae ad Ecclesiae et Apostolicae Sedis pertinent missionem, ideoque et ut fructuosae cum civilibus moderatoribus necessitudines foventur;

3º iuxta mandata et instructiones sibi data, atque collatis consiliis cum Patriarchis Episcopisque locorum, opportuna fovere commercia inter Ecclesiam Catholicam et alias christianas communitates, immo et religiones non christianas (*M.P. Sollicitudo*, IV, 2, 3 4)».

Placet textus, sed claritatis causa duo fiunt emendationes, nempe: *a*) in initio canonis expunguntur verba «Praeterea, omnis»; *b*) in n.1º, lin.1, loco «quaestiones» dicitur «res».

Can. 8 (CIC 269, § 1)

Hic est textus propositus:

«§ 1. Ad rationes quod attinet cum Episcopis dioecesanis aliisque locorum Ordinariis, Legatus, integrum relinquens eorum potestatis regiminis exercitium, iisdem consilia dare atque operam suam praestare debet.

§ 2. Crebras etiam relationes foveat cum Episcoporum Conferentiis regionis, eisdemque omnimodam operam praestet (*M.P. Sollicitudo*, VII, 1 et 2).

Proponente Exc.mo quarto Consultore, expunguntur verba «consilia dare atque», quae habentur in § 1.

Exc.mi primus et quintus Consultores timent ne, per verba «aliisque locorum Ordinariis», difficultates exsurgent disciplinares.

Non concordant tamen Rev.mus septimus et alii Consultores qui volunt ut talia verba maneant, quo clarius pateat Legatum, nisi speciali potestate sit praeditus, non posse ingredi sphaeram iurisdictionis Episcopi.

Em.mus Felici novam redactionem § 1, quae approbatur et sic sonat: «Ad rationes quod attinet cum Episcopis dioecesanis, Legatus, integrum relinquens eorum potestatis regiminis exercitium, iisdem pro opportunitate operam suam praestet».

Approbatur quoque § 2, sed loco «praestet» dicitur «praebens».

Can. 9

Ad mentem animadversionis factae a Rev.mo septimo Consultore qui necessarium censem ut de his rebus agatur, Rev.mus Relator duos novos canones proponit:

a) Canon 9: « Ut propria indeoles legationis clarius manifestetur utque Legatus officium suum aptius perficere valeat Sedes Legationis Pontificiae a potestate regiminis Ordinarii loci exempta est (cf. M.P. *Sollicitudo*, XII, 1) ».

b) Canon 10 (CIC 269, § 3): « § 1. Legatus Pontificius in Oratorio sua Sedis potest facultates proprias exercere, ibique actus divini cultus et sacras ceremonias peragere, semper tamen congruenter cum normis in territorio vigenibus et, ubi expedit, certiore facta auctoritate ecclesiastica cuius intersit.

« § 2. Legato Pontificio fas est, praemonitis, quantum fieri possit, locorum Ordinariis, in omnibus ecclesiis intra fines suaeg legationis populo benedicere et officia divina, etiam in pontificalibus, peragere (cf. M.P. *Sollicitudo*, XII, 2 et 3) ».

Placent textus propositi, sed fit unicus canon, cum tribus numeris, nempe: 1° = can. 9, a verbis « Sedes Legationis... »; 2° = can. 10, § 1; 3° = can. 10, § 2.

Can. 10 (CIC 268)

Textus propositus sic sonat:

« § 1. Pontificii Legati munus non expirat vacante Sede Apostolica, nisi aliud in litteris pontificiis statuatur; cessat autem expleto mandato, revocatione eidem intimata, renuntiatione a Romano Pontifice acceptata (cf. M.P. *Sollicitudo*, III, 3).

§ 2. Legatus Pontificius qui septuagesimum quintum aetatis annum expleverit, renuntiationem ab officio exhibeat Summo Pontifici, qui, omnibus inspectis adiunctis, providebit (M.P. *Sollicitudo*, III, 3) ».

Approbatur § 1 uti iacet, et expungitur § 2 — proponentibus Exc. mis quarto et secundo atque Rev.mo septimo Consultoribus — quia necessaria non videtur.

Can. 11 (CIC 270)

Textus propositus sic sonat:

« Episcopi qui, ratione sedis, titulo Legati Apostolici decorantur, nullum exinde competit speciale ius ».

Hic textus non approbatur, quia canon non videtur necessarius.

Denique Rev.mus Secretarius Ad. sequentem proponit formulam pro canone 3, iuxta ea quae deliberata iam sunt:

« Personam gerunt Sanctae Sedis ii quoque ecclesiastici et laici viri, qui, ut praepositi vel membra, in Pontificiam Missionem cooptantur apud Consilia Internationalia, aut apud Conferentias et Congressus; qui vocantur Delegati aut Observatores, prout Sancta Sedes inter membra Consiliorum Internationalium recensetur aut non, et partem habet in aliqua Conferentia cum aut sine iure suffragii; iisdem non applicantur praescripta canonum qui sub hoc titulo habentur (cf. M.P. *Sollicitudo*, I, 1) ».

Textus omnibus placet, sed, proponente ipso Rev.mo Secretario Ad., deletur in lin. 2 verbum « viri » ne excludantur mulieres.

IV. ULTIMA RECOGNITIO CANONUM DE CURIA DIOECESANA

Emendationes fiunt tantum ad sequentes canones:

Can. 2

Hic est textus:

« § 1. Nominatio eorum qui officia in Curia dioecesana exercent spectat ad Episcopum dioecesanum.

§ 2. Eorum nominatio scripto consignetur, ad normam can. 159 ».

Proponente Exc.mo quarto Consultor, in fine § 1 adduntur verba quae prius habebantur in can. 18 § 1, nempe: « ut nominari possint debent esse integrae famae et omni suspicione maiores ».

Can. 3

Sic sonat textus:

« Omnes qui ad officia in Curia admittuntur debent:

1° promissionem emittere de munere fideliter adimplendo, addito etiam iuramento secundum rationem a iure vel ab Episcopo determinatam;

2° negotia ad se spectantia debita cum diligentia tractare, ad normam iuris;

3° secretum servare intra fines et secundum modum a iure aut ab Episcopo determinatos ».

Placet, sed in numeris 1° et 3° dicatur « iure », loco « a iure ».

Can. 5

Hic est textus:

«§ 1. Episcopus dioecesanus curare debet ut omnia quae ad universae dioecesis administrationem pertinent negotia debite coordinentur, et ad bonum portionis populi Dei sibi commissae aptius procurandum ordinentur.

§ 2. Ipsius Episcopi dioecesani est coordinare labores qui ad exercitium pertinent munerum quae Vicario generali vel Vicariis generalibus et Vicariis episcopalibus sunt commissa; Episcopo autem absente aut impedito, hoc officium coordinationis adimpleat Vicarius generalis qui Caput est Curiae aut qui ab Episcopo ad hoc est designatus.

§ 3. Si id expedire iudicaverit ad ordinatum dioecesis regimen, Episcopus sibi constitutus Consilium episcopale, constans Vicariis generalibus et Vicariis episcopalibus necnon aliis quibusdam personis ab ipso eligendis».

Quoad § 2, mavult Exc.mus quartus Consultor ut dicatur «Moderator», loco «Caput»; non concordat Rev.mus septimus Consultor, qui censem ita minui pondus huius functionis.

Maioritati tamen placet proposita mutatio.

Quaerit etiam Exc.mus quartus Consultor num Episcopus vicesgerens sit eo ipso Moderator Curiae. Negative respondet Rev.mus Secretarius Ad. quia ipse vices gerit Episcopi dioecesani, qui alias est a Moderatore. Post parvam discussionem, textus manet uti est.

Quoad § 3, Exc.mus secundus Consultor expedire censem ut adsit necessaria flexibilitas, sed textus manet, quia re vera iam dicitur «si id expedire iudicaverit», ergo res relinquitur prudentiae singulorum Episcoporum, qui possunt quoque personas diversas nominare pro hoc consilio.

Can. 6

Hic est textus:

«§ 1. In unaquaque dioecesi ab Episcopo dioecesano nominetur Caput Curiae, cuius est sub eiusdem auctoritate coordinare labores quae ad universae dioecesis administrationem pertinent, salvo praescripto can. 5, § 2, itemque curare ut inferiores Officium sibi commissum rite adimpleant; eiusdem etiam est, si casus ferat, communicationem publicam prelo aliisve mediis curare.

§ 2. Nisi locorum adjuncta iudicio Episcopi aliud suadeant, Caput Curiae nominetur Vicarius generalis aut, si plures sint, unus ex Vicariis generalibus».

Loco «Caput», dicitur «Moderator», in §§ 1 et 2.
Exc.mo quinto Consultori non placet verbum «inferiores» (§ 1).
Proponente Rev.mo Secretario Ad. approbatur expressio «ceteri Curiae
addicti».

Can. 7

Hic est textus:

«Acta Curiae quae effectum iuridicum habere nata sunt subscribi de-
bent ab Ordinario a quo emanant, et quidem ad validitatem insimul
a Curiae cancellario; qui vero cancellarius Caput Curiae de actis certius fa-
cere tenetur».

Iuxta prius deliberata, placet ut dicatur: «... cancellarius Moderatorem
Curiae de actis certiorem facere tenetur».

Can. 15

Hic est textus:

«§ 1. In qualibet Curia constituatur cancellarius, cuius praecipuum
munus est curare ut acta Curiae redigantur et expediantur, ut eadem in
Curiae Archivo custodiantur, ut ordine chronologico disponantur et de iis-
dem indicis tabula conficiatur.

§ 2. Si necesse videatur, cancellario dari potest adiutor, cui nomen sit
vice-cancellarius.

§ 3. Cancellarius necnon vice-cancellarius sunt eo ipso notarii. Postu-
lante Exc.mo quarto Consultore, in fine § 3 additur: «... notarii *seu secretarii Curiae*».

Can. 18

Hic est textus:

«§ 1. Cancellarius aliqui notarii ut nominentur, debent esse integrae
famae et omni suspicione maiores.

§ 2. Cancellarii aliqui notarii ab officio removeri possunt ad nutum
Episcopi dioecesani, non autem a Vicario capitulari (Administrator dioe-
cesano), nisi de consensu Consilii presbyteralis».

Iuxta prius approbata (cfr. additionem factam in can. 2, § 1), expungi-
tur § 1 huius canonis.

Proponente Rev.mo Secretario Ad. placet sequens mutatio in § 2: Can-
cellarii aliqui notarii *libere* ab officio removeri possunt *ab Episcopo dioece-*

sano, non autem ab Administratore dioecesano, nisi de consensu Consilii Consultorum».

Can. 19

Hic est textus:

«§ 1. In unaquaque Curia erigatur, in loco tuto et commodo, archivum seu tabularium dioecesanum, in quo instrumenta et scripturae quae ad negotia dioecesana tum spiritualia tum temporalia spectant, apte disposita et diligenter clausa custodiantur.

§ 2. Documentorum quae in archivio continentur conficiatur inventarium seu catalogus, cum brevi singularum scripturarum synopsi».

Postulantibus Exc.mis quarto et secundo Consultoribus additur nova § 1, ubi statuitur principium hoc generale: omnia nempe quae Episcopo traduntur maxima cura servari et custodiri. Textus approbatus est sequens: «§ 1. Omnia quae dioecesi vel paroeciae respiciunt documenta maxima cum cura custodiri debent».

In § 2 (quae prius erat § 1), postulante Exc.mo quinto Consultore delentur verba «et commodo».

Can. 20

Hic est textus:

«§ 1. Archivum clausum sit oportet eiusque clavem habeant soli Episcopus et cancellarius; nemini licet illud ingredi nisi de Episcopi aut Capitulis Curiae et cancellarii licentia.

§ 2. (CIC 384) Documenta quae in Curiae aut paroeciae archivio sub secreto servanda non sunt, ius est christifidelibus quorum interest inspiciendi, itemque postulandi ut sua impensa sibi legitimum eorum exemplum exscriptum aut photostaticum tradatur».

Iuxta Exc.mum quartum Consultorem, § 2 periculis ansam praebet, quia adesse possunt res non secretae, sed nihilominus custodienda ab indiscreta curiositate. Accedit Rev.mus tertius Consultor cui non placet expressio «ius inspiciendi»; hoc enim ius, ait Rev.mus, respicit solummodo authenticum documentum de statu personae, etc., ab eo quaerendum cuius intersit. Accedunt etiam Exc.mus secundus et alii Consultores: archivum protegendum est, ex gr. ab illegitimis petitionibus diurnariorum, etc.

Proponit ergo Rev.mus Secretarius Ad. sequentem novam redactionem § 2, quae placet omnibus:

«Ius est iis quorum interest ut documentorum, quae natura sua sunt

publica quaeque ad statum suae personae pertinent, documentum authenticum scriptum vel photostaticum per se vel per procuratorem recipiant ».

Can. 21

Hic est textus:

« § 1. Ex archivio non licet efferre scripturas, nisi ad breve tempus tantum atque de Episcopi aut Capitis Curiae et cancellarii consensu.

§ 2. Qui aliquam scripturam ex archivio effert, syngrapham sua manu signatam, hoc ipsum significantem, cancellario tradat».

Dicitur « Moderatoris », loco « Capitis » (§ 1).

Praeterea, postulante Exc.mo nono Consultore, ponitur « documenta », loco « scripturas ».

Can. 22

Hic est textus:

« § 1. Sit Curiae dioecesanae aliud archivum, aut saltem in communī archivō armarium seu scrinium, omnino clausum et obseratum, quod de loco amoveri nequeat, in quo scilicet scripturae secreto servandae cautissime custodiantur.

§ 2. Singulis annis destruantur documenta causarum criminalium in materia morum, quarum rei vita cesserint aut quae a decennio sententia condemnatoria absolutae sunt, retento facti brevi summario textum sententiae definitivae exhibente».

Loco « scripturae » (§ 1), hic quoque dicitur « documenta ».

Can. 23

Hic est textus:

« § 1. Archivi secreti clavem habeant tantummodo Episcopus et cancellarius aliusve sacerdos ab Episcopo designatus.

§ 2. Sede vacante archivum vel armarium secretum ne aperiatur, nisi in casu verae necessitatis, ab ipso Vicario capitulari (Administratore dioecesano) eiusve delegato.

§ 3. Ex archivio vel armario secreto documenta ne efferantur».

Postulat Exc.mus quintus Consultor ut expungantur verba « aliusve sacerdos »; contrarium tenet Exc.mus secundus Consultor.

Rev.mus Secretarius Ad. hanc formulam suggerit, quae approbatur: «... et cancellarius *aut pro opportunitate* alius sacerdos...».

Can. 26

Hic est textus:

«§ 1. In singulis dioecesibus constituatur Consilium a rebus oeconomicis, cui praesidet ipse Episcopus dioecesanus eiusve delegatus, et quod constat tribus saltem personis, in re oeconomica vere peritis et integritate praestantibus, sive clericis sive laicis, ab Episcopo, secundum normas ab Episcoporum Conferentia statutas, nominatis.

§ 2. Nisi Episcoporum Conferentia aliter statuerit, membra Consilii a rebus oeconomicis ad quinquennium nominentur, sed expleto hoc tempore ad alia quinquennia assumi possunt».

Proponente Exc.mo primo Consultore, placet ut in § 1, ad mentem can. 1520 CIC, addantur verba: «... in re oeconomica *necnon in iure civili* vere peritis...».

* * *

Post peractum horum canonum examen, tempus quoque expletur, sessioni studii dicandum. Quapropter, precibus de more dictis, Cardinalis Praeses hanc coetus «de Sacra Hierarchia» adunationem conclusam declarat.

Romae, die 6 decembris 1974.

I. HERRANZ
Actuarius

CANONES IN HAC XV^a SESSIONE APPROBATI

Adnexum I

DE SUPREMA ECCLESIAE AUCTORITATE EIUSQUE EXERCITIO

Can. 1

Quae de Suprema Ecclesiae auctoritate vigent praescripta, in canonibus Legis Ecclesiae fundamentalis de Romano Pontifice deque Collegio Episcoporum statuuntur (cann. 29-39).

Can. 2

§ 1. In eius munere Supremi Ecclesiae Pastoris exercendo Romano Pontifici auxilio sunt Episcopi omnes, in specie quidem Synodus Episcoporum, cuius est aptiores quibus universae Ecclesiae necessitatibus prospiciatur rationes inquirere atque de iisdem optata exprimere.

§ 2. Supremo Pastori peculiari modo adsunt Patres Cardinales, quorum est operam studiumque conferre ut quae secundum temporis adjuncta ad commune Ecclesiae bonum magis congruae et opportunae apparent rationes revera ad rem deduci possint.

§ 3. Romano Pontifici praesto sunt quoque quae ad Curiam Romanam pertinent personae et instituta, ad quae spectat varia obire munia atque explere mandata quibus praescriptae ad bonum Ecclesiarum ordinaciones directe ad effectum adducantur.

DE SANCTAE ROMANAEC ECCLESIAE CARDINALIBUS

Can. 3 (CIC 232)

S.R.E. Cardinales peculiare Episcoporum Collegium constituunt, cui competit ut electioni Romani Pontificis provideat, ad normam legum specialium de eadem vigentium, firmo praescripto can. 8, § 1; Cardinales item Romano Pontifici adsunt, sive collegialiter agentes, cum ad quaestiones maioris momenti tractandas in Collegium convocentur, sive ut singuli, variis nempe officiis quibus funguntur eidem Romano Pontifici in universae Ecclesiae cura praesertim cotidiana operam praestantes.

Can. 4 (CIC 232-233)

§ 1. Qui Cardinales promoveantur libere a Romano Pontifice seliguntur viri, saltem in ordine presbyteratus constituti, doctrina, moribus, pietate necnon rerum agendarum prudentia egregie praestantes.

§ 2. Cardinales creantur Romani Pontificis decreto, quod quidem coram Cardinalium Collegio publicatur; inde a publicatione facta officiis teneantur atque iuribus gaudent lege definitis.

§ 3. Promotus tamen ad cardinalitiam dignitatem, cuius creationem Romanus Pontifex annuntiaverit, eius autem nomen in pectore sibi reser-
vans, nullis interim tenetur Cardinalium officiis nullisque eorum gaudet
iuribus; postquam autem a Romano Pontifice eius nomen publicatum fuerit, iisdem tenetur officiis fruiturque iuribus, sed iure praecedentiae gaudet
a die reservationis in pectore .

Can. 5 (CIC 231 et 236, § 4)

§ 1. Fermo praescripto § 2, Cardinalibus a Romano Pontifice assignatur titulus alicuius dioecesis suburbicariae aut alicuius Ecclesiae Urbis.

§ 2. Patriarchae Orientales qui in Patrum Cardinalium Collegium as-
sumuntur in titulum habent suam Patriarchalem Sedem.

§ 3. Cardinalis Sacri Collegii Decanus in titulum habet dioecesim
Ostiensem.

Can. 6 (CIC 237)

§ 1. Sacro Cardinalium Collegio praeest Decanus, eiusque impediti vi-
ces sustinet Subdecanus; Decanus vel Subdecanus, nulla in ceteros Cardi-
nales gaudet potestate regiminis, sed ut primus inter aequales habetur.

§ 2. Officio Decanatus Sacri Collegii vacante, Cardinales quibus ius
est in electione Romani Pontificis partem habere, praesidente Subdecano si
adsit, aut antiquiore ex ipsis, e coetus sui groemio unum ut Decanum Sacri
Collegii eligant; eius nomen ad Romanum Pontificem deferant, cui soli
competit electum confirmare.

§ 3. Eadem ratione de qua in § 2 eligitur Subdecanus, eligenti autem
coetui praesidente ipso Decano, si adsit; Subdecani electionem confirmare
uni etiam Romano Pontifici competit.

§ 4. Decanus et Subdecanus, si in Urbe domicilium iam non habeant,
illud ibidem acquirant; officium ipso iure amittunt expleto octogesimo ae-
tatis anno.

Can. 7 (novus)

§ 1. Cardinales collegiali actione Supremo Ecclesiae Pastori praecipue auxilio sunt in Consistoriis, in quibus iussu Romani Pontificis eoque praesidente congregantur; Consistoria habentur ordinaria aut extraordinaria.

§ 2. In Consistorium ordinarium, ad eorum consultationem de quibusdam negotiis gravibus, communius tamen contingentibus, aut ad actus quosdam maxime sollemnos peragendos, convocantur omnes Cardinales, saltem in Urbe versantes.

§ 3. In Consistorium extraordinarium, quod celebratur cum peculiares Ecclesiae necessitates graviorave negotia tractanda id suadeant, convocantur Cardinales, saltem in Urbe versantes, qui octoagesimum aetatis suaे annum non adimpleverint.

§ 4. Solum Consistorium ordinarium in quo aliquae sollemnitates celebrantur potest esse publicum, scilicet in quo praeter Cardinales admittuntur Praelati, legati societatum civilium aliive ad illud invitati.

Can. 8 (novus)

§ 1. Patres Cardinales qui octoagesimum aetatis annum impleverint, licet membra remaneant Sacri Collegii variisque iuribus et praerogativis eiusdem propriis fruantur, non excluso quidem iure ut ordinariis intersint Consistoriis:

1° ius amittunt Romanum Pontificem eligendi atque adeo in Conclave ingrediendi; qui vero post coemptum Conclave octoagesimum annum compleverint, ius Romanum Pontificem eligendi ea vice retinent;

2° desinunt esse membra Dicasteriorum Romanae Curiae ceterorumque permanentium Sedis Apostolicae et Civitatis Vaticanae institutorum, etiamsi, exceptionis gratia, dioecesi alicui praesint aut eius titulum, sine regendi munere, servent.

§ 2. Patres Cardinales Dicasteriis Romanae Curiae aliisve institutis, de quibus in § 1, 2°, praepositi, qui septuagesimum quintum aetatis annum expleverint, rogantur ut renuntiationem ab officio sua spone exhibeant Romano Pontifici, qui, omnibus in unoquoque casu perpensis adjunctis, providebit.

Can. 9 (CIC 239, §§ 2 et 3)

Cardinali Decano competit nomen novi electi Romani Pontificis populo annuntiare, itemque electum Romanum Pontificem ad sacros promoto-

vere ordines, si electus nondum episcopus sit; impedito Decano, idem ius competit Subdecano, eoque impedito, antiquiori Cardinali cui ius est in electione Romani Pontificis partem habere.

Can. 10 (CIC 238)

Cardinales obligatione tenentur cum Romano Pontifice sedulo cooperandi; Cardinales itaque quovis officio in Curia fungentes, qui non sint Episcopi dioecesani, obligatione tenentur residendi in Urbe; Cardinales qui alicuius dioecesis curam habent ut Episcopi dioecesani, Urbem petant quoties a Romano Pontifice convocentur, atque, cum ad Urbem venerint, ab eadem ne discedant nisi prius adito Romano Pontifice.

Can. 11 (CIC 239-240)

§ 1. Cardinales, quibus dioecesis suburbicaria aut ecclesia in Urbe in titulum est assignata, postquam in eiusdem venerunt possessionem, earundem dioecesum et ecclesiarum consilio et patrocinio promoveant, nulla tamen in easdem potestate regiminis pollut, nec ulla ratione sese iis interponant quae ad earum bonorum administrationem, ad disciplinam aut ecclesiarum servitium spectant.

§ 2. Cardinales extra Urbem et extra propriam cui praesunt dioecesim degentes, in iis quae ad sui personam pertinent exempti sunt a potestate regiminis Episcopi dioecesis in qua commorantur.

Can. 12 (novus)

Cardinales inde a sui ad Cardinalatum promotionem obligatione tenentur providendi per legitimum documentum, Apostolicae Sedi transmittendun, ut quae cum decesserint possident acta et scripta ad relationes cum Sede Apostolica eiusve actionem pertinentia, uni Sedi Apostolicae obveniant.

Can. 13 (CIC 241)

Sede Apostolica vacante, Sacrum Cardinalium Collegium nulla in Ecclesia gaudet potestate, nisi ea quae in lege peculiari de Sede vacante definitur.

Adnexum II

DE EPISCOPIS COADIUTORIBUS ET AUXILIARIBUS

Can. 1 (CIC 350)

§1. Cum pastorales necessitates dioecesis id suadeant, si nempe ob dioecesis amplitudinem magnumve incolarum numerum, aut ob peculiaria apostolatus adiuncta aliasve rationes, Episcopus dioecesanus per semetipsum omnia episcopalia munia, sicut animarum id exigat bonum, adimplere nequeat, unus vel plures Episcopi auxiliares, petente Episcopo dioecesano, constituantur; Episcopus auxiliaris iure successionis non gaudet.

§2. Cum peculiaris id requirat dioecesis necessitas, gravioribus scilicet in adiunctis, etiam indolis personalis, Episcopus dioecesanus votum Apostolicae Sedi mittere curet ut sibi detur Episcopus auxiliaris specialibus instructus facultatibus; qui, ubi plures sunt Episcopi auxiliares, vices gerens appellatur.

§3. Ob peculiares de quibus in § 2 aliasve rationes, si magis opportunum id ipsi videatur, Sancta Sedes ex officio constituere potest Episcopum coadiutorem, qui et ipse specialibus instruitur facultatibus, et iure successionis donari potest.

Can. 2 (CIC 353)

§1. Episcopus coadiutor, si iure successionis gaudeat, officii sui possessionem capit, cum litteras apostolicas nominationis, per se vel per procuratorem, ostenderit Episcopo dioecesano atque Collegio consultorum aut, ubi Capitulo cathedrali competat ius eligendi vel praesentandi Episcopum, Collegio consultorum una cum Capitulo cathedrali, in unum Collegium coadunatis, praesente secretario Curiae, qui rem in acta referat.

§2. Episcopus coadiutor iure successionis non gaudens, intemque Episcopus auxiliaris, officii sui possessionem capit, cum litteras apostolicas nominationis ostenderit Episcopo dioecesano, praesente secretario Curiae, qui rem in acta referat.

§3. Quod si Episcopus dioecesanus plene sit impeditus sufficit ut tum Episcopus coadiutor tum Episcopus auxiliaris litteras apostolicas nominationis ostendant soli collegio ad normam § 1.

Can. 3 (CIC 351, §§ 1 et 2)

Episcopus coadiutor, itemque Episcopus auxiliaris, obligationes et iura habent quae determinantur praescriptis canonum qui sequuntur; praeterea

Episcopus coadiutor et Episcopus auxiliaris de quo in can. 1, § 2, obligaciones et iura habent quae in litteris suae constitutionis definiuntur, Episcopo dioecesano in universo dioecesis regimine adstant, atque eodem absente vel impedito eius vices supplent.

Can. 4 (novus)

§ 1. Episcopus coadiutor, item Episcopus auxiliaris, de quo in can. 1, § 2, ab Episcopo dioecesano Vicarius generalis semper constituatur (*Decr. Christus Dominus* n. 26); insuper ipsi p[ro]e aliis Episcopus dioecesanus committat quae ex iure mandatum speciale requirant.

§ 2. Nisi in litteris apostolicis aliud provisum fuerit et firmo praescripto § 1, Episcopus dioecesanus auxiliarem vel auxiliares suos constituant Vicarios generales vel saltem Vicarios episcopales, a sua, aut Episcopi coadiutoris vel Episcopi auxiliaris de quo in can. 1, § 2, auctoritate, dumtaxat dependentes.

Can. 5 (novus)

§ 1. Ut quam maxime praesenti et futuro dioecesis bono faveatur, Episcopus dioecesanus atque Episcopus auxiliaris de quo in can. 1, § 2 vel coadiutor in rebus maioris momenti mutuo se consulant.

§ 2. Episcopus dioecesanus, in perpendendis causis maioris momenti, praesertim indolis pastoralis, Episcopos auxiliares p[ro]e aliis consulere velit (cfr. *Decr. Christus Dominus*, n. 26).

§ 3. Episcopus coadiutor et Episcopus auxiliaris, quippe qui in partem sollicitudinis Episcopi dioecesani vocati sint, munia sua ita exerceant ut concordi cum ipso opera et animo procedant (*Decr. Christus Dominus* n. 25).

Can. 6 (CIC 351, § 4)

§ 1. Episcopus coadiutor et Episcopus auxiliaris, iusto impedimento non detenti, obligantur ut, quoties ab Episcopo dioecesano fuerint requisiti, pontificalia et alias functiones obeant, ad quas Episcopus dioecesanus teneretur.

§ 2. (CIC 351, § 3). Quae episcopalia iura et functiones Episcopus coadiutor aut auxiliaris potest et vult exercere, Episcopus dioecesanus habitualiter aliis ne committat.

Can. 7 (CIC 355)

§ 1. Vacante sede episcopali, Episcopus coadiutor iure successionis gaudens statim evadit Episcopus dioecesis pro qua fuerat constitutus, dummodo possessionem legitime ceperit ad normam can. 2, §§ 1 et 3.

§ 2. Vacante sede episcopali, nisi aliud a competenti auctoritate statutum fuerit, Episcopus coadiutor iure successionis non gaudens itemque Episcopus auxiliaris, usquedum novus Episcopus possessionem sedis ceperit, omnes et solas servat potestates et facultates quibus sede plena, tanquam Vicarius generalis vel tanquam Vicarius episcopal, gaudebat ; quod si ad munus Administratoris apostolici aut Administratoris dioecesani non fuerit designatus, eandem suam potestatem, a iure quidem collatam, exerceat sub auctoritate Administratoris apostolici aut Administratoris dioecesani, qui regimini dioecesis praeest.

Can. 8 (CIC 354)

Episcopus coadiutor et Episcopus auxiliaris, obligatione tenentur, sicut et ipse Episcopus dioecesanus, residendi in dioecesi; a qua, praeterquam alicuius officii extra dioecesim implendi ratione aut vacationis causa, non nisi ad breve tempus, Episcopo dioecesano consentiente, discedant.

Can 9 (novus)

§ 1. Episcopo coadiutori, ad renuntiationem ab officio quod attinet, applicatur praescriptum can. 28, § 2 (de Episcopis dioecesani).

§ 2. Episcopus auxiliaris qui septuagesimum quintum aetatis annum expleverit aut ob infirmam valetudinem aliamve gravem causam suo officio adimplendo minus aptus evaserit, monito Episcopo dioecesano, renuntiationem ab officio exhibeat Summo Pontifici, aut, omnibus inspectis adjunctis et auditio Episcopo dioecesano, providebit.

§ 3. Episcopo coadiutori et auxiliari, quorum renuntiatio ab officio acceptata fuerit, applicatur praescriptum can. 29 (de Episcopis dioecesani).

Adnexum III

DE ROMANI PONTIFICIS LEGATIS

Can. 1 (CIC 265)

Romano Pontifici ius est nativum et independens ad societas politicas civiliaque gubernia atque ad Ecclesias in certa Natione aut ditione ecclesiastica sitas Legatos suos mittendi, sicut et eos nominandi, transferendi et revocandi, servatis quidem normis iuris internationalis, quod attinet ad missionem et revocationem Legatorum apud societas politicas constitutorum (cf. M.P. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, III, 1).

Can. 2 (novus)

§ 1. Nomine Legatorum Romani Pontificis, in canonibus qui sequuntur, appellantur viri ecclesiastici, plerumque Episcopali Ordine insignes, quibus Romanus Pontifex officium committit suam stabili modo gerendi personam, in variis terrarum orbis Nationibus aut certis ditionibus ecclesiasticis (cf. M.P. *Sollicitudo*, I, 1).

§ 2. Personam Sanctae Sedis item gerunt membra illa Pontificiae Legationis quae, sive desit sive ad tempus absit Legationis praepositus, eiusdem vices supplant tum erga Ecclesias in ditione ecclesiastica sitas, tum erga Societatis politicae gubernium, appellanturque « Curam Agentes ad negotia ad interim » (cf. M.P. *Sollicitudo*, II, 2).

Can. 3 (novus)

Personam gerunt Sanctae Sedis ii quoque ecclesiastici et laici, qui, ut praepositi vel membra, in Pontificiam Missionem cooptantur apud Consilia Internationalia, aut apud Conferentias et Congressus; qui vocantur Delegati aut Observatores, prout Sancta Sedes inter membra Consiliorum Internationalium recensetur aut non et partem habet in aliqua Conferentia cum aut sine iure suffragii; iisdem non applicantur praescripta canonum qui sub hoc titulo habentur (cf. M.P. *Sollicitudo* I, 1).

Can. 4 (CIC 267)

Qui modo stabili legatione funguntur apud Ecclesias in certa ditione ecclesiastica sitas tantum, vocantur Delegati Apostolici; qui legationem modo stabili exercent insimul apud Societas politicas civiliaque gubernia, nuncupantur Nuntii vel Pro Nuntii, prout ad ordinem pertinent « Publi-

corum Legatorum» cum iure partes agendi Decani in Legatorum coetu, aut hoc iure carent (cf. M.P. *Sollicitudo*, I, 2).

Can. 5 (CIC 267, § 1,1°)

§ 1. Firmis praescriptis cann. 6 et 7, Nuntii et Pro Nuntii munus est:

1° promovere et fovere necessitudines Apostolicam Sedem inter et Gubernium Nationis apud quam legationem suam exercet;

2° quaestiones pertractare quae ad relationes Ecclesiam inter et societatem politicam pertinent;

3° tractare de concordatis, de stipulationibus quae ‘modus vivendi’ appellantur aliisque conventionibus quae negotia respiciunt ad relationes Ecclesiam inter et societatem politicam spectantia, quorum in Ecclesia ordinatio ad ius universale pertinet (cf. M.P. *Sollicitudo*, X, 1).

§ 2. In negotiis de quibus in § 1 expediendis, prout rerum adiuncta id suadeant, Legatus Pontificius sententiam et consilium Episcoporum Nationis aut ditionis ecclesiasticae exquirat, eosque de negotiorum cursu certiores faciat (cf. M.P. *Sollicitudo*, X, 2).

Can. 6 (CIC 267 § 1, 2° et § 2)

Ad munus ordinarium tum Delegati Apostolici tum Nuntii vel Pro Nuntii pertinet:

1° operam dare ut firmiora efficacioraque in dies reddantur unitatis vincula, quae inter Apostolicam Sedem et Ecclesias in Natione aut ditione ecclesiastica sitas intercedunt;

2° in territorio sibi assignato rite cognoscere conditiones in quibus versantur Ecclesiae ad quas missus est easque, sollicitudinis Summi Pontificis interpres, consociata. Episcoporum opera, promovere (cf. M.P. *Sollicitudo*, IV, 1 et V, 1);

3° explere mandata atque exercere facultates quae ipsi ab Apostolica Sede committuntur.

Can. 7 (novus)

Pontificii Legati, stabili modo constituti, quoque est:

1° operam conferre ut promoteantur res ad pacem, ad progressum et ad consociatam populorum operam spectantes;

2° contendere ut, consociata cum Episcopis regionis actione, ea tuea-

tur quae ad Ecclesiae et Apostolicae Sedis pertinent missionem, ideoque et ut fructuosae cum civilibus moderatoribus necessitudines foveantur;

3º iuxta mandata et instructiones sibi data, atque collatis consiliis cum Patriarchis Episcopisque locorum, opportuna fovere commercia inter Ecclesiam Catholicam et alias christianas communitates, immo et religiones non christianas (cf. M.P. *Sollicitudo*, IV, 2,3,4).

Can. 8 (CIC 269, § 1)

§ 1. Ad rationes quod attinet cum Episcopis dioecesanis, Legatus, integrum relinquens eorum potestatis regiminis exercitium, iisdem pro opportunitate operam suam praestet.

§ 2. Crebras etiam relationes foveat cum Episcoporum Conferentiis regionis, eisdem omnimodam operam praebens (cf. M.P. *Sollicitudo*, VIII, 1-2).

Can. 9 (novus)

Ut propria indoles legationis clarius manifestetur utque Legatus officium suum aptius perficere valeat:

1º Sedes Legationis Pontificiae a potestate regiminis Ordinarii loci exempta est (cf. M.P. *Sollicitudo*, XII, 1);

2º Legatus Pontificius in Oratorio sua Sedis potest facultates proprias exercere, ibique actus divini cultus et sacras caeremonias peragere, semper tamen congruenter cum normis in territorio vigentibus et, ubi expediat, certiore facta auctoritate ecclesiastica cuius intersit.

3º Legato Pontificio fas est, praemonitis, quantum fieri possit, locorum Ordinariis, in omnibus ecclesiis intra fines sua legationis populo benedicere et officia divina, etiam in pontificalibus, peragere (cf. M.P. *Sollicitudo*, XII, 2 et 3).

Can. 10 (CIC 268)

Pontificii Legati munus non expirat vacante Sede Apostolica, nisi aliud in litteris pontificiis statuatur; cessat autem expleto mandato, revocatione eidem intimata, renuntiatione a Romano Pontifice acceptata (cf. M.P. *Sollicitudo*, III, 3).

Adnexus IV**DE CURIA DIOECESANA**

(*Praescripta generalia*)

Can. 1 (CIC 363)

Curia dioecesana constat illis institutis et personis quae Episcopo aliive qui loco Episcopi dioecesi praeest, opem praestant in regimine pastorali universae dioecesis. Ad eam pertinent instituta et personae quae ergo deputantur ut in actione pastorali dirigenda, in administratione dioecesis curanda necnon in potestate iudiciali exercenda partem aliquam habent.

Can. 2 (CIC 364, § 1)

§ 1. Nominatio eorum qui officia in Curia dioecesana exercent spectat ad Episcopum dioecesanum; ut nominari possint debent esse integrae famae et omni suspicione maiores.

§ 2. Eorum nominatio scripto consignetur, ad normam can. 159.

Can. 3 (CIC 364, § 2)

Omnis qui ad officia in Curia admittuntur debent:

1° promissionem emittere de munere fideliter adimplendo, addito etiam iuramento, secundum rationem iure vel ab Episcopo determinatam;

2° negotia ad se spectantia debita cum diligentia tractare, ad normam iuris.

3° secretum servare intra fines et secundum modum iure aut ab Episcopo determinatos.

Can. 4 (CIC 365)

De causis, atque de personis quae in Curia ad exercitium potestatis iudicialis se referunt, serventur praescripta cann. 1573-1593; de iis quae ad administrationem dioecesis spectant, serventur praescripta canonum qui sequuntur.

Can. 5 (novus)

§ 1. Episcopus dioecesanus curare debet ut omnia quae ad universae dioecesis administrationem pertinent negotia debite coordinentur, et ad

bonum portionis populi Dei sibi commissae aptius procurandum ordinentur.

§ 2 Ipsius Episcopi dioecesani est coordinare labores qui ad exercitium pertinent munerum quae Vicario generali vel Vicariis generalibus et Vicariis episcopalibus sunt commissa; Episcopo autem absente aut impedito, hoc officium coordinationis adimpleat Vicarius generalis qui Moderator est Curiae aut qui ab Episcopo ad hoc est designatus.

§ 3. Si id expedire iudicaverit ad ordinatum dioecesis regimen, Episcopus sibi constitutus Consilium episcopale, constans Vicariis generalibus et Vicariis episcopalibus necnon aliis quibusdam personis ab ipso eligendis.

Can. 6 (novus)

§ 1. In unaquaque dioecesi ab Episcopo dioecesano nominetur Moderator Curiae, cuius est sub eiusdem auctoritate coordinare labores quae ad universae dioecesis administrationem pertinent, salvo praescripto can. 5, § 2, itemque curare ut ceteri Curiae addicti officium sibi commissum rite adimpleant; eiusdem etiam est, si casus ferat, communicationem publicam prelo aliisve mediis curare.

§ 2. Nisi locorum adiuncta iudicio Episcopi aliud suadeant, Moderator Curiae nominetur vicarius generalis aut, si plures sint, unus ex Vicariis generalibus.

Can. 7 (novus)

Acta Curiae quae effectum iuridicum habere nata sunt subscribi debent ab Ordinario a quo emanant, et quidem ad validitatem atque insimul a Curiae cancellario, qui vero cancellarius Moderatorem Curiae de actis certiore facere tenetur.

(Praescripta specialia)

1. DE VICARIIS GENERALIBUS ET EPISCOPALIBUS

(Huc venire possunt canones *septem* qui de Vicariis generalibus et episcopalibus probati sunt).

2. DE CANCELLARIO ALIISQUE NOTARIIS ET ARCHIVO EPISCOPALI*Can. 15 (CIC 372)*

§ 1. In qualibet Curia constituatur cancellarius, cuius praecipuum munus est curare ut acta Curiae redigantur et expediantur, ut eadem in Curiae archivo custodiantur, ut ordine chronologico disponantur et de iisdem indicis tabula conficiatur.

§ 2. Si necesse videatur, cancellario dari potest adiutor, cui nomen sit vice-cancellarii.

§ 3. Cancellarius necnon vice-cancellarius sunt eo ipso notarii seu secretarii Curiae.

Can. 16 (CIC 373)

§ 1. Praeter cancellarium, constitui possunt alii notarii, quorum quidem scriptura seu subscriptio publicam fidem facit, et quidem sive ad quaelibet acta, sive ad acta iudicialia dumtaxat sive ad acta certae causae aut negotii tantum.

§ 2. Notarii assumi possunt etiam laici; in causis tamen quibus fama sacerdotis in discrimin vocari possit, debet esse sacerdos.

Can. 17 (CIC 374)

Officium notariorum est:

1° conscribere acta et instrumenta circa decreta, dispositiones, obligationes aliave de quibus eorum opera requiritur;

2° in scriptis fideliter redigere quae geruntur, eaque, cum significazione loci, diei, mensis et anni subsignare;

3° acta vel instrumenta legitime petenti ex regesto, servatis servandis, exhibere et eorum exempla cum autographo conformia declarare.

Can. 18 (CIC 373, §§ 4-5)

Cancellarii aliquique notarii libere ab officio removeri possunt ab Episcopo dioecesano, non autem ab Administratore dioecesano, nisi de consensu Consilii Consultorum.

Can. 19 (CIC 375)

§ 1. Omnia quae dioecesi vel paroeciae respiciunt documenta maxima cura custodiri debent.

§ 2. In unaquaque Curia erigatur, in loco tuto, archivum seu tabularium dioecesanum, in quo instrumenta et scripturae quae ad negotia dioecesana tum spiritualia tum temporalia spectant, apte disposita et diligenter clausa custodiantur.

§ 3. Documentorum quae in archivo continentur conficiatur inventarium seu catalogus, cum brevi singularum scripturarum synopsis.

Can. 20 (CIC 377)

§ 1 Archivum clausum sit oportet eiusque clavem habeant soli Episcopus et cancellarius; nemini licet illud ingredi nisi de Episcopi aut Moderatoris Curiae et cancellarii licentia.

§ 2. Ius est iis quorum interest ut documentorum, quae natura sua sunt publica quaeque ad statum sua personae pertinent, documentum authenticum scriptum vel photostaticum per se vel per procuratorem recipient.

Can. 21 (CIC 378)

§ 1. Ex archivo non licet efferre documenta, nisi ad breve tempus tantum atque de Episcopi aut Moderatoris Curiae et cancellarii consensu.

§ 2. Qui aliquam scripturam ex archivo effert, syngrapham sua manu signatam, hoc ipsum significantem, cancellario tradat.

Can. 22 (CIC 379)

§ 1. Sit Curiae dioecesanae aliud archivum, aut saltem in communi archivo armarium seu scrinium, omnino clausum et obseratum, quod de loco amoveri nequeat, in quo scilicet documenta secreto servanda cautissime custodiantur.

§ 2. Singulis annis destruantur documenta causarum criminalium in materia morum, quarum rei vita cesserint aut quae a decennio sententia condemnatoria absolutae sunt, retento facti brevi summario textum sententiae definitivae exhibente.

Can. 23 (CIC 380-382)

§ 1. Archivi secreti clavem tantummodo Episcopus et cancellarius aut pro opportunitate alius sacerdos ab Episcopo designatus.

§ 2. Sede vacante archivum vel armarium secretum ne aperiatur, nisi in casu verae necessitatis, ab ipso Vicario capitulari (Administratore dioecesano) eiusve delegato.

§ 3. Ex archivo vel armario secreto documenta ne efferantur.

Can. 24 (CIC 3583)

§ 1. Curet Episcopus dioecesanus ut acta et documenta archivorum quoque ecclesiasticorum cathedralium, collegiarum, paroocialium, necnon personarum iuridicarum publicarum et piorum locorum diligenter serventur atque inventaria seu catalogi confiantur duobus exemplis, quorum alterum in proprio archivo, alterum in archivo episcopali servetur.

§ 2. Acta et documenta de quibus in § 1 ut inspiciantur aut efferantur serventur normae ab Episcopo dioecesano statutae.

3. DE EXAMINATORIBUS DIOECESANIS*Can. 25 (CIC 385-390)*

§ 1. In quavis dioecesi constituantur examinatores dioecesani, numero de iudicio Episcopi requisito, qui operam praestent in experimentis ad provisiones canonicas requisitis necnon in processibus de quibus in can. 2147 et ss..

§ 2. Examinatores dioecesani ad quinquennium eligantur a Consilio presbyterali inter sacerdotes ab ipso Episcopo propositos.

§ 3. Examinatores dioecesani ab Episcopo a munere ne removeantur, nisi ob gravem causam, ab ipso Episcopo, auditio Consilio presbyterali, aestimandam.

4. DE CONSILIO A REBUS OECONOMICIS ET DE OECONOMO*Can. 26 (novus)*

§ 1. In singulis dioecesisibus constituatur Consilium a rebus oeconomicis, cui praesidet ipse Episcopus dioecesanus eiusve delegatus, et quod constat tribus saltem personis, in re oeconomica necnon in iure civili vere peritis et integritate praestantibus, sive clericis sive laicis, ab Episcopo, secundum normas ab Episcoporum Conferentia statutas, nominatis.

§ 2. Nisi Episcoporum Conferentia aliter statuerit, membra Consilii a rebus oeconomicis ad quinquennium nominentur, sed expleto hoc tempore ad alia quinquennia assumi possunt.

Can. 27 (novus)

§ 1. Consilii a rebus oeconomicis est quotannis rationem apparare quaestuum et erogationum quae pro universo dioecesis regimine anno ven-

turo praevidentur, necnon, anno exeunte, rationem accepti et expensi probare.

§ 2. Eiusdem Consilii assensu eget Episcopus dioecesanus ut expensas ordinet extraordinarias, quas scilicet ob adiuncta specialia in ratione erogationum non praevisa admittendas aestimet.

Can. 28 (novus)

§ 1. In singulis dioecesibus ab Episcopo, auditio Consilio a rebus oeconomicis, nominetur oeconomus, qui sit, sive clericus sive laicus, in re oeconomica vere peritus et probitate prorsus praestans.

§ 2. Oeconomus nominetur ad quinquennium, sed expleto hoc tempore ad alia quinquennia nominari potest; durante munere ne amoveatur nisi ob gravem causam ab Episcopo, auditio Consilio a rebus oeconomicis, aestimandam.

§ 3. Oeonomi est, secundum rationem a Consilio a rebus oeconomicis definitam, ex quaestu dioecesis constituto, expensas facere quas Episcopus aliive ab ipso deputati legitime ordinaverint.

§ 4. Anno vertente, oeconomus Consilio a rebus oeconomicis rationem accepti et expensi reddere debet.

* * *

Ita disceptatione expleta de quaestionibus quae in hac sessione pertractandae erant, committitur Rev.mo Secretario Ad. ut, pro proxima Coetus sessione, schemata definitiva appareat « De Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus » atque « De Episcopis coadiutoribus et auxiliaribus ».

In hac nova sessione quaestio prima vice perpendenda est; « De Legatis Romani Pontificis ».

Deinde, precibus de more dictis, Em.mus Card. Felici finem imponit huic XIV^{ae} sessioni Coetus studii « De Sacra Hierarchia ».

Romae, die 22 februarii 1974.

I. HERRANZ
Actuarius

